

aliquo sibi vendita, venditore consentiente capiat, et signet, l. *Quod si neque*. ff. de Periculo, et commod. rei vend. ibi. « Videri autem trabes traditas, quas emptor signasset. » Ubi Glossa inquit, signationem pro traditione haberi.

136. *Et quid dicendum de dolio vini signato?* — Nec obstat textus in l. I § *Si dolium*. ff. de Periculo et commod. rei vendit. ubi dicitur, per hoc, quod dolium vini sit signatum, non censeri traditum vinum; addita illa ratione: quia dolium magis signari solet, ne submoveatur, aut subvertatur, quam ut traditum videatur. Resp. enim ibi sermonem esse de dolio signato, ut sibi ex eo vinum in singulas, v. g. amphoras sub certo pretio admittatur: hoc enim non censetur traditum, donec admensum fuerit, haud obstante dicta obsignatione, arg. l. *Quod saepe*. § *In iis quae, de Contrahend. empt.* Secus, si omne vinum, vel oleum, aut hujusmodi, uno pretio fuerit emptum, ac dolium ejus signatum: tunc enim censetur jam traditum, non minus, ac trabes signata; et proinde periculum ejus continuo cedit emptori, si aliter non convenit. Zoësius in cit. tit. de Periculo et comod. rei vendit. ff. n. 4.

137. *Quando apponitur custodia rei venditore consentiente, censetur res illa tradita.* — Insuper, quando emptor apponit custodiam rei emptæ, v. g. acervo lignorum, venditore consentiente, hoc ipso res illa censetur tradita, l. *Quarumdam rerum*. 51. ff. de Acquir. possess. Tacentur alia hujusmodi exempla, de quibus Hostiensis in *Summa*, tit. de *Causa possessionis*. n. 1. et 2; Abbas c. *Ex litteris*. n. 9. et seqq. de *Consuetud.* et c. *Cum venissent*. n. 11, 13. et seqq.; Pirhing, b. t. n. 7; Mynsinger in § *Interdum*. et seqq. *Instit. de Rerum divis.* et alii.

138. *Atque in hujusmodi casibus acquiritur vera rei possessio, ita ut notarii de ea possint testari.* — Sciam adde, quod in hujusmodi casibus, in quibus aliquis ficta apprehensione acquirit possessionem rei; quam nemo alius possidet, is acquirat veram et propriam illius possessionem; adeo, ut notarii in instrumentis possint de ea testari. Hinc si postea prior dominus venderet, aut donaret illam rem, ejusque corporalem possessionem traderet alteri, nihilominus primus foret potior. Abbas d. c. *Ex litteris*. n. 14. de *Consuetud.* estque jam dictum supra n. 116.

139. *Utrum lege, statuto vel consuetudine possit introduci, quod transferatur possessio*

absque omni apprehensione rei? Et ratio dubitandi, ac negativam tenendi. — Queritur III. Utrum lege, statuto, vel consuetudine introduci valeat, quod transferatur, et acquiratur possessio absque omni corporali apprehensione rei? Et notanter hoc additur: nam in casibus factæ apprehensionis hactenus enumeratis, præter animum solet intervenire aliquis actus cujuscumque sensus corporei, ut puta visus sive aspectus rei, traditio clavium vel scripturæ, aut alius actus æquipollens actui corporeo. Ratio quoque dubitandi est: quia istud videtur repugnare juri naturali, quod ad acquirendam rerum corporalium possessionem videtur requirere actum naturalem apprehensionis veræ, vel factæ, arg. l. 1. et l. *Possideri*. ff. de *Acquir. possess.* cum similibus. Hoc tamen non obstante.

140. *Sententia affirmativa est communis.* — Resp. Potest lege, vel statuto (ac etiam longæva consuetudine) induci, ut transferatur possessio ipso jure absque alia apprehensione vera, vel ficta. l. Ita Jason in l. n. 1. c. *Communiam*. de *Legat. post.* Bartolum in l. *Raptores*. c. de *Episc. et Cleric.* Menochius, remed. 1. de *Recuperand. possess.* n. 404; et seqq. Covarruvias lib. III. *Var. resolut.* cap. v. n. 6; Gailus lib. II. *Practic.* observat. 152. n. 18. estque communis aliorum. Et talis possessio appellatur *civilissima* (de qua jam dictum n. 17.) sive artificialis, eo quod nihil facti habeat, sed totum pendeat ex artificio legis, sive statuti, cujus effectum etiam operatur consuetudo longæva.

141. *Sententia affirmativa probatur.* — Probatur hæc conclusio tum ex l. *Raptores*. c. de *Episc. et cleric.* ubi in Ecclesiam transfertur plena quarumdam rerum possessio ex solo legis beneficio; tum ex c. *Ex litteris*. 2. de *Consuetud.* ubi approbatur consuetudo alicubi recepta transferendi rerum absentium possessionem in Ecclesiam absque reali ipsarum apprehensione, uti jam dictum supra num. 127; tum tandem, quia actor ex primo decreto missus in possessionem honorum causa rei servandæ, licet eandem propter potentiam, et resistentiam adversarii intra annum adipisci non possit; nihilominus elapso anno absque alio actu verus constituitur possessor ipsius, c. *Contingit*. 9. de *Dolo et contum.* juncta. Glossa fin. *Ibid.* Accedit ratio, quia talis transmissio possessionis absque alia apprehensione corporali, revera non est prohibita de jure naturali; ergo nihil obstat, quominus lege, vel statuto introduci

possit, si ita communitati expedire videatur.

142. *Solvitur ratio dubitandi. De jure naturali requiritur corporalis apprehensio rerum ad acquirendam harum possessionem, et quando?* — Nec urget ratio dubitandi n. 139 allata. Nam licet de jure naturali necessaria sit corporalis apprehensio ad acquirendam possessionem rerum communium; quæ sub nullius bonis sunt, ac proinde jure naturali fiant primo occupantis: negatur tamen, de jure naturali itidem requiri verum ac proprium actum ad acquirendam, seu transferendam possessionem illarum rerum quæ prius ab aliquo possessæ sunt, atque in bonis ejus jam extiterunt, hoc enim ex nullo capite ostenditur. Unde humana lege, statuto vel consuetudine bene fieri potest, ut possessio rerum ab uno in alium transferatur absque alia apprehensione ipsius vera vel ficta, quando ita communitati expedire visum fuerit: non minus, ac de facto lege humana statutum fuit, quod in certis casibus ad transferendam rerum possessionem sufficiat sola apprehensio ficta. Siquidem jus naturale, requirens apprehensionem ad acquirendam possessionem rerum, simpliciter loquitur de apprehensione vera, seu corporali: apprehensio autem ficta non est talis apprehensio corporalis, sed sola legum humanarum constitutione, seu quadam juris fictione fuit introducta.

§ V.

DE ACQUISITIONE, ET IN ALIUM TRANSIATIONE
QUASI POSSESSIONIS INCORPORALIUM.

143. *Incorporalium quasi possessio acquiritur, atque in alium transfertur, corpore et animo simul concurrente.* — Queritur I. Qua ratione acquiratur, atque ab uno in alium transferatur possessio, seu quasi possessio rerum incorporalium, videlicet jurium ac servitutum? Resp. I. Generatim loquendo, incorporalium possessio, seu quasi possessio non minus, ac corporalium, acquiritur corpore et animo simul concurrente, l. I. § 1. et l. *Possidere*. § 1. ff. de *Acquir. possess.* cum similibus. Universaliter enim ad possessionem vel quasi possessionem acquirendam, requiritur et corporis, et animi, ac (loquendo de justa) juris adminiculum; prout liquet ex ipsa possessionis definitione supra § 1. n. 4. et seqq. jam declarata. Atque idcirco, ut quasi possessio incorporalium rite ab uno transferatur

in alium, necesse est, et corporis et animi, jurisque adminiculum intervenire.

144. *Incorporalia aliquando coherent corporalibus, aliquando non.* — Verum loquendo magis specificè, ac particulariter de acquirenda quasi possessione incorporalium, est distinguendum. Aliquando enim incorporalia adhærent corporalibus, suntque his connexa: aliquando non, sed secundum se considerata acquiruntur, vel deperduntur. Unde

145. *Quando incorporalia coherent corporalibus, per horum possessionem acquiritur etiam illorum quasi possessio.* — Resp. II. Quando incorporalia coherent corporalibus, tunc per inductionem in possessionem talium corporalium transfertur, atque ab inducto acquiruntur etiam possessio, vel quasi possessio incorporalium (dummodo hæc a nullo tertio possideantur, juxta dicta n. 115.) etiam ante usum juris. Ita Abbas in c. *In litteris* n. 20. de *Restitut. spoliat.* Ubi inter alia notanter ait: « Ista incorporalia accedunt rei corporali: ideo acquisita possessione rei corporalis, competit exercitium incorporalium, arguor, quæ notantur in c. *Transmissam*. de *Election.* » Hæc ille idem tradit Paulus de Eleazaris in *Repetit.* c. *In litteris*. n. 17. de *Restitut. spoliat.* citans Hostiensem ibid. contra Innocentium, et quosdam alios, qui ulterius recipiunt usum juris.

Conclusio probatur imprimis ex c. *Translatio de Constitut.* ubi de connexis idem censetur esse judicium. Accedit textus in l. *Omniunium*. 3 ff. de *Usufruct.* ubi hæres usufructum legatum alteri « dare intelligitur, si induxerit in fundum legatarium, eumve patiatur ut frui. » Nam dictio, *eumve*, cum sit disjunctiva satis inducat, ad acquirendam quasi possessionem usufructus sufficere alterutrum illorum: nempe quod hæres vel legatarium inducat in fundum cui usufructus ipsi legatus cohæret; vel ipsum patiatur eodem fundo uti frui. Item desumitur ex l. *Si ego emi*. § 1. de *Publician. in rem action.* ubi quasi possessio usufructus, et servitutum, dicitur per rei, puta fundi, « traditionem constitui, vel per patientiam: forte si per domum quis suam passus est aquæductum transduci. »

146. *Idque exemplificatur.* — Unde, si cuiuspiam tradatur possessio domus, etiam jurium eidem competentium, seu cohærentium, quasi possessio tradita censetur, cit. l. *Possideri*. § 1. ff. de *Acquir. possess.* et l. *Gerit pro hærede*. ff. de *Acquir. hæredit.* Similiter, si quis tanquam canonicus installatur in choro et

capitulo, omnium jurium ad canonicum pertinentium videtur acquisivisse possessionem, c. *Relatum*. 9, et c. *Dilectus*. 19. *Præbend.* ac notat Innocentius ibid. ac Paulus de Eleazaris cit. n. 77.

147. *Idque exemplificatur.* — Hinc etiam quasi possessio jurium Ecclesiæ, probatur ex clavium Ecclesiæ traditione : nam illæ pariter transferunt quasi possessionem talium jurium. Menochius, *remed.* 3, *de Retinenda possess.* n. 584, post Butrium in cap. ult. *de Causa possess. et propriet.* Nicol. de Milis. *ŷ. Possessio*. q. 34 et Rebuffum in *Commentar. ad reg. constitut. Galliæ*, tom. III, tit. *de Mat. possess.* in præfat. n. 69, ac notat Mascardus *concl.* 1330 *de Probat.* n. 22, et seqq. dicens quod adepta possessione beneficii, censeatur etiam in consequentiam acquisita possessio jurium, et honorum ipsius beneficii; dummodo nullus alius fuisset in possessione eorum.

148. *Solvitur contraria. Possessione unius rei apprehensa, non censetur apprehensa possessio alterius rei; et quando?* — Nec obstat, quod possessione unius rei apprehensa, non censeatur apprehensa possessio alterius rei, l. 1, *ŷ. Veteres.* juncta Glossa *ŷ. Per unum.* ff. *de Acquir. possess.* et l. *Quod meo.* *ŷ. fin.* ff. eod. et tradit Menochius cit. *remed.* 3, *de Retinenda possess.* n. 282, citans alios. Resp. enim, istud dictum procedere in illis, quæ sunt diversa, et invicem non cohærentia, secus vero esse dicendum, quando possessio, vel quasi possessio unius, est accessoria ad aliud; prout fit in proposito, et in aliis similibus. Tunc enim apprehensa possessione unius, etiam in consequentiam transit possessio vel quasi possessio alterius Mascardus cit. *concl.* 1330, n. 23.

149. *Incorporalia traditionem non recipiunt.* — Nec obstat ulterius, quod aliquid ad acquirendam quasi possessionem talium jurium insuper requirant exercitium juris; sive quod quis tali jure actualiter usus fuerit: quia aliter (inquiunt) incorporalia non traduntur, arg. l. *Servus qui bona.* ff. *de Acquir. rer. dom.* ubi dicitur: « Incorporales res traditionem, et usucapionem non recipere, manifestum est. » Resp. enim: quamvis, ut simul interveniat exercitium sive actus aliquis illius juris, perquam sit utile et consultum, ac data opportunitate non facile omittendum; eo quod deserviat ad confirmandam, et fortius probandam talium jurium quasi possessionem; nihilominus tamen ad eam acquirendam in

casu nostro, ejusmodi exercitium juris non esse simpliciter necessarium. Nam tradita possessione rei corporalis, cui jus illud cohæret, etiam accessorie, ac in consequentiam, transit quasi possessio illius juris.

150. *Quomodo hoc intelligendum?* — Neque urget adductus textus ex l. *Servus qui bona.* ff. eod. Loquitur enim de incorporalibus per se spectatis, et quæ corporalibus non cohærent, sicque traditionem neququam requirunt: non autem de rebus seu juribus incorporalibus, ut sunt connexa corporalibus. Nam loquendo de istis, sicuti servitutes, aliæque jura spiritalia, una cum fundis sive ædificiis, quibus debentur seu cohærent, possunt usucapi, licet per se usucapi nequeant, text. clar. l. *Si aliena.* *ŷ. Hoc jure.* ff. *de Usucap.* Ita etiam una cum fundis aliisve corporalibus, quibus debentur atque cohærent, eorum quasi possessio tradi, et transferri potest, licet per se traditionem non recipiant.

151. *Ad acquirendam possessionem jurium incorporalium per se spectatorum, quæ requirantur?* — Resp. III. Ac acquirendam quasi possessionem jurium incorporalium per se spectatorum, et dum traditioni rerum corporalium non cohærent, tria vel maxime requiruntur. Primo, exercitium actus illius juris: deinde scientia et patientia domini, sive prioris possessoris, in cujus præjudicium actus ille exercetur: tandem adminiculum animi, ut nempe actus ille exerceatur veluti ex debito, sive intentione acquirendi quasi possessionem. Ita Glossa in c. *Cum Ecclesia.* *ŷ. Vocemque.* h. t. et Abbas ibid. n. 22, post Innocentium. Bartolus in l. 1, *ŷ. Hoc interdicto.* ff. *de Itinere actuque privat.* Sannig h. t. cap. II, n. 4, et alii passim.

152. *Ad eam inter alia requiritur adminiculum animi.* — Et quidem duæ priores conditiones ex professo examinabuntur, ac declarabuntur, in sequentibus quæsitis singillatim. Tertia vero, seu quod requiratur adminiculum animi pro acquirenda possessione incorporalium, probatur, simulque declaratur exemplis. Sic enim quasi possessio juris eligendi, vel præsentandi, acquiritur per hoc, quod quis eligat, vel præsentet; dummodo hoc fiat scientibus, ac patientibus illis, qui fuerunt in possessione eligendæ vel præsentandi, arg. c. *Cum Ecclesia.* h. t. Simulque id fiat non ratione alicujus amicitiae, seu invitationis honorificæ solum, aut ex causa consilii dandi, sed quasi ex debito, seu in-

tentione acquirendi quasi possessionem; ut notat Glossa loc. cit. Concordat textus in lib. ult. ff. *de Itinere actuque privat.* ubi qui sæpius commeavit per fundum proximi, non tamen tanquam id jure suo faveret, sed si prohiberetur non facturus per hoc non acquirit jus itineris in fundo illius. Idem probatur ex l. ult. ff. *Quemadmodum servitutes amitt.* ibi: « Servitute usus non videtur: nisi is, qui suo jure uti se credit, » cum similibus.

153. *Pro acquirenda quasi possessione juris eligendi, requiritur etiam ut sequatur confirmatio ejus.* — Addit Innocentius in c. *Cum venissent.* *De in integrum restitut.* et post ipsum Abbas ibid. n. 23, aliud adhuc requisitum pro acquirenda quasi possessione juris eligendi: nempe, quod sequatur confirmatio electionis per superiorem facta; tum quia alioquin exercitium illius actus, v. g. electionis, vel præsentationis, non haberet effectum; tum quia per solam electionem, vel præsentationem a se factam, sed a superiore repulsam, quis possideret solummodo labia sua. Verum hæc conditio commode reducitur ad primam, nempe ad exercitium actus illius juris: nam ibi sermo est de actu perfecto, seu habente effectum suum. Nunc loquendo de aliis duabus conditionibus, ad acquirendam qui possessionem incorporalium requisitis.

154. *Ad acquirendam quasi possessionem jurium incorporalium, an requiratur exercitium juris?* — Queritur II. An et quale exercitium juris requiratur ad acquirendam quasi possessionem jurium incorporalium per se spectatorum? Resp. I. Certum est, ad acquirendam quasi possessionem jurium incorporalium per se spectatorum, requiri aliquod talis juris exercitium. Et ratio est, quia jura incorporalia per se considerata, non recipiunt veram traditionem, l. *Servus qui bona.* ff. *de Acquir. rer. dom.* sed ipsamet patientia exercitii talium jurium, est loco traditionis; prout liquet ex l. *Quoties.* ff. 20. *de Servitut.* ubi dicitur, « Usus ejus juris, sive servitutis, pro traditione possessionis accipiendum esse. » Concordat textus in l. 1, *ŷ. fin.* ff. *de Servitut. rustic. prædior.* Cum similibus.

155. *Et quale?* — Resp. II. Ad ejusmodi exercitium juris, et acquirendam quasi possessionem hujus, quandoque sufficit unicus actus, quandoque requiruntur plures, et quandoque etiam multi non sufficiunt: unde materia hæc multum est arbitraria, atque ex qualitate actus, variisque circumstantiis pensandum, an sufficiat unicus actus, vel quod

requirantur. Ita Abbas in c. *Cum ecclesia.* n. 22, et seqq. h. t. Pirhing h. t.; n. 10, et alii. Ratio diversitatis est, quia sunt nonnulla quæ nunquam, vel certe non facile concedi solent ex amicitia, seu quadam indulgentia; alia quandoque sic concedi solent, sed non semper; alia vero semper sic conceduntur. Ut igitur iudex in dubio discernere possit, an hic et nunc actus fuerit exercitus quasi ex debito et a domino sive priore possessore toleratus ut talis, vel potius ex amicitia solum, probe erit consideranda natura seu qualitas subjectæ materiæ.

156. *In aliquibus materiis complures actus ad id non sufficiunt.* — Et quidem in illis materiis, quarum actus vel semper, vel saltem frequenter ex gratia et amicitia, seu benevolentia concedi solent: tunc complures etiam tales actus non sufficiunt ad probandam quasi possessionem alicujus juris. Hinc si quis sæpius ad mensam alterius invitatus sit, aut tanquam hospes in monasterio receptus, non per hoc præsumi potest, quod ipsi quæsita sit quasi possessio juris cujuscumque: quia hujusmodi actus sunt talis qualitatis, quod præsumantur fieri ac tolerari ex benevolentia, non autem tanquam debiti ex jure.

157. *Nisi aliud appareat ex circumstantiis.* — Intellige, nisi aliud sufficienter appareat ex circumstantiis: ut si episcopus visitando monasterium, ab eodem recipiatur et procurationes sibi exhibitas recipiat. Quia ob circumstantiam visitationis censeatur illis uti vel uti jure debitis, sicque constituitur in quasi possessione; ac tempore legitimo præscribit tale jus, c. *Sopite.* 14, *de Censibus.*

158. *In aliis materiis sufficiunt quidem plures actus, non autem unus.* — Loquendo autem de materiis illis, in quibus quandoque solet admitti aliquis actus ex gratia, et ratione amicitiae, non tamen multum frequenter: tunc ad acquirendam quasi possessionem juris exercendi ejusmodi actus sufficiunt quidem complures actus: non tamen sufficit unicus actus, sed requiruntur tam multi, ut verisimile sit utentem voluisse uti pro jure suo, et dominum ita passum fuisse. Desumitur hoc ex l. 1, *ŷ. Hoc interdicto.* ff. *de Itinere actuque privat.* ubi ad acquirendam quasi servitutem itineris requiritur, quod quis in fundo proximi sui nec vi, nec clam, nec precario transeundo, ad minus triginta diebus per annum tali jure usus fuerit: nam pauciores actus præsumerentur permissi potius ex amici-